

**Oratio Harveiana ... in Theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium,
habita festo Dici Lucae MDCCI / [William Browne].**

Contributors

Browne, William, 1692-1774.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

London : T. Longman, etc., [1751?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ga5zzrup>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



15774/c





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3040969x>

ORATIO HARVEIANA,

PRINCIPIBUS MEDICIS PARENTANS;
MEDICINAM, ACADEMIAS UTRASQUE LAUDANS;
EMPIRICOS, EORUM CULTORES PERSTRINGENS;
COLLEGIUM USQUE A NATALIBUS ILLUSTRANS:

I N

THEATRO COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIVM

HABITA FESTO DIVI LUCAE, MDCCLI.
A GULELMO BROWNE, Equite Aurato, M. D. CANTAB. et OXON.
Hujuscē COLLEGII Socio, Electore, Censore. S. R. S. et a Consiliis.

Editio

tertia.



*Ita dicam, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra,
neque falsa afficta esse videatur. CICERO.*

LONDINI,
Apud T. LONGMAN, C. & L. DAVIS, J. BRINDLEY.

OXONIAE,
Apud J. FLETCHER, & S. PARKER.

CANTABRIGIAE,
Apud W. THURLBOURN, & T. MERRILL.
Solidorum duorum pretio venalis.

О И Т А Я А И А Н Н А Н

BRUNNUS MEDICIS FABRICATIONE
MICHIGANIA ACADEMIA ULTRASONE PLANOVA
EMPIRICOS FORMA CULTORIA TREATMENTO
COLLOQUUM DEQUE A NATURIS ILLUSTRAVIT
H. E. H. E. T. A. H. E. T. O.
COLLOQUII LEGATIS
MEDICORUM JONCTIONIS
HABITATU DUCIT MEDIOS
ACUERIOM IRMOM, H. E. H. E. T. O.
H. E. H. E. T. O.



1019163

John T. Lomax, C. E. E. Day, T. H. Munro

OKONIYE

John T. Fletcher, B. S. Parker

CYNTHARIGIA

John W. Threlkeld, E. T. Martin

Scrophulariaceae



P R A E S I D I
D I G N I S S I M O , C O L E N D I S S I M O ,
D O C T I S S I M I S , A M I C I S S I M I S
C O L L E G I S ,
H A N C
O R A T I O N E M ,
Q U A M E D I V O L U E R U N T ,
O F F I C I U M , A M O R E M
P R A E S T A N S ,
D A T , D I C A T , U T I P A R E S T ,
O R A T O R H A R V E I A N U S .

ПЯТЕНИЕ
DOCTI ET JUSTI NOMEN PARVI PENDERET,

QUI SERMONEM HUNC, INVITO ME, VERTERET.

КОЛЛЕГИЯ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГА

МЭИОИТАЯО


ГАУДИА ВОЛНУЮЩИЙ

ОЛИЦИУМ ДАМОРИИ

ПРАЗДНАЯ

ДЛЯ ДИКАЯ ОЧИТАТЕЛЬСТВА

ОЯТОР НАРЯДИУС



ORATIO.



IHIL oratoris muneri gratius, nihil auditorum expectationi jucundius, nihil saluti publicae utilius ex cogitari potuit, quam antecessorum illustrium, de gente humano bene meritorum, laudes celebrare, benefacta in luce collocare, nomina semper chara, *semper honorata* ab interitu vindicare. Dupli

ci afficimur voluptate, duplícem percipimus fructum, dum, uno eodemque opere, et beneficia accepta grato recolimus animo, et paria aut, si possumus, majora dare, quasi face praelata ducimur, vel potius admota accendimur. Hoc est quod sapientia in primis jubet: *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium; atque ex aliis exemplum sumere.* Immortalis igitur HARVEIUS, qui mirum in modum sapuit, nulla re magis sapuisse videtur, quam in festo hoc solenni instituendo, memoriae majorum sacro, qui rempublicam hanc medicam condiderunt, conservarunt, ornarunt, auxerunt. Dubitari sane potest, utrum *dulce an utile* in hoc instituto magis emineat: dubitari vero non potest, quin *omne tulerit punctum qui utile dulci ita miscuerit.* Quam dulce est, *virtutes ex oculis sublatas* denuo in conspectum dari? Quam utile, illarum conspectu ad honestam aemulationem

lationem omnes incendi? Optimo atque admirabili hoc consilio praecclare voluit vir eximius, non sibi, sed generi suo natus, non uni suo saeculo, sed futuris omnibus prospiciens; ut ars medica, omnium longe praestantissima, quippe omnium longe utilissima, suis ipsius studiis et laboribus, suis ipsius scriptis atque inventis quam illustris facta, altiores tamen gradus, cum in medicorum honorem, tum in hominum salutem, usque ascenderet. Voluit, ut medicina Britannica, quae *hoc ipso cognomine pree fert laudem*, felicibus quibus orta est auspiciis, gloriofis principiis digna procederet, *viresque perpetuo acquireret eundo*. Voluit, ut scientiam nullis circumscriptam terminis exquireret diligentia nullo fine coercenda: ut cuius beneficiis nullus statueretur limes, ejus praeconiis nullus poneretur modus. Voluit benefactores nostros quotannis commemorari, non

modo quod merendo illi *eatenus prodierunt*, verum etiam ut aemulis *daretur ultra prodire*: non modo ut aetas praeterita suas haberet laudes, verum etiam ut succedens ampliores assequeretur. Voluit, ut quoties relucescat hic dies, toties *sumum solem, sua sidera agnosceret orbis medicus*: toties non modo salutaret gratulabundus, verum etiam *lumen de suo lumine accenderet.*

QUEM autem prius suspiciemus, quem prius admirabimur, quam ipsum reipublicae nostrae conditorem LINACRUM? *Quem prius celebrare sumemus, quam illum, cui nos nostraque debemus?* *Quem prius sequi totis enitemur viribus, si passibus aequis non possumus, quam charissimum parentem, optimum patrem?* Ab illius laudibus jure ordiendum est, a cuius beneficiis originem duximus. Maxime certatum fuisse videtur inter

artem

artem et naturam, utra LINACRUM magis ornat. Dedit natura ingenii indolem, nihil mediocriter, omnia insigniter meditantem: dedit ars *doctrinam, quae vim promoveret insitam, rectosque cultus, qui pectora roborarent.* Cum natura nullum ingenio statuerat terminum; noluit ars ullum poni modum studio. Hinc avidissime LINACRUS fitiebat literas, avidissime fitiebat scientias; sed aliis praें omnibus unam illam, quae alias omnes sibi comites desiderat, medicinae scientiam: nihil prius *orandum esse putans, nihil* potius enitendum, quam *ut sit sibi, ut sit omnibus sana mens in corpore sano.* Cum vero fitim hanc urgeret, potius quam expleret Oxonia sua; cum *foecundiores,* quam ista academia tunc temporis praebuit, postularentur *calices qui disertum facerent;* Italos fontes, denuo nuper reclusos, omniisque scientiae copia scatentes, festinatione

non minore quam cupiditate petiit. *Terras alio calentes sole sapienter, feliciter mutavit; patriae-que exsul se quoque fugit.* Fugit se rudem, incultum, illiteratum: rediit urbanus, facundus, eruditus. Oxoniae reversus istas secum advexit disciplinas, quas antea eo loci frustra quaesiverat. Professoris cathedra recte illi delata est, qui medicinae titulum huic adjicere unus potuit. Vedit solum utriusque académiae infructuosum, non quod sterile esset, sed quod incultum: ille literarum sementem fecit, cui tam opima succrévit messis, ut exteris nostrae cito docerent, ex quibus ipsae modo didicerant. Lectiones medicas Oxoniae et Cantabrigiae, optimis omnibus, posuit: apta COLLEGII MEDICORUM futuri fundamenta: certa testimonia, solam se velle ad collegium suum per istas academias haberi viam. Quantum in literis politioribus, quantum in matheſi, quantum in me-

dicina inclaruit LINACRUS, testantur sua scripta,
 testes isti integerrimi; testantur suae aetatis scrip-
 tores; testatur *unus instar omnium* Erasmus. Ad
 aulam, nominis sui fama, regisque omnium pru-
 dentissimi jussu vocatus, utrasque partes, et re-
 giae domus valetudinem tutandi, et principis ani-
 mum erudiendi, non magis libenter suscepit, quam
 egregie explevit. Quin optimae spei juvenis, ad
 laudem atque decus, in maxima imperia natus,
 ARTHURUS Walliae princeps, *mala dicens avi*
uxorem, vix e praceptoris tutela emancipatus, a
 medici etiam manu acerba morte abreptus est: hoc
 solum LINACRO solatii relicto, quod *siqua dextra*
medica vita tam amabilis, tam amata defendi posset,
etiam bac defensa fuisset. Sed quid dixi? Walliae
 principis desiderium, vel inter solennia haec gau-
 dia, *infandum jubet dolorem renovare!* Nos Wal-
 liae principem, heu qualem! heu quantum! moe-
 rentes

rentes desideramus! Nos Britonum, meliorisque
 aevi spem tantam, *amorem ac delicias humani ge-*
neris, praemature ademptum dolemus! Nunquam
 non dolebimus, quod hic subito occiderit, quem,
 optimo patre fero tamen occidente, regem, *pa-*
trem patriae, magnum Magnae Britanniae, en-
 quam graviter aegrotantis, medicum, restitutorem,
 speravimus felici auspicio oriturum! Nunquam
 non dolebimus, quod hic ante diem clauerit su-
 premium, qui singulum *diem perdi putavit*, *quo*
nihil cuiquam praestitisset: qui autem ne unum
 quidem ita unquam perdidit! Nunquam non do-
 lebit ipsa medicina, quod *tam charo capiti impar*
 esset servando: cuius *desiderio quis pudor sit aut*
modus! HENRICUS OCTAVUS in regna succedens,
 munificentissimus ille literarum patronus, nil mi-
 rum, si patris ad exemplum, si filii affectu LINAC-
 CRO usus est: nil mirum, si LINACRUS, summus

ille sapientiae magister, praecclare *scivit* sua vice
regibus uti. Non ut sibi suisque honores ambi-
ret; non ut privatas congereret opes; non ut
confanguineos et necessarios locupletaret: sed ut
literis atque artibus, non minus utilibus, quam
honestis, patriam suam, totumque orbem ditaret.
In votis erat, artem praecipue medicam, omnium
primam pariter ac difficillimam, quam dum tam
longo *studuit contingere cursu, multa tulit fecitque,*
sudavit et alsit, regio demum auspicio foveri, at-
que aptis laribus donari. Praeclarum hoc fane
consilium! Annuente libenter rege, fanciente fa-
pienter senatu, en COLLEGIUM REGALE MEDICO-
RUM LONDINENSIMUM! En tertiam ACADEMIAM,
uni quidem, sed illi optimae, caeterisque omnibus
amicissimae, scientiae sacram! Quin LINACRUS
nil actum reputans, siquid agendum superesset, fo-
dalitio huic medico aedes etiam suas commodavit

vivus, testamento legavit moriturus: vitamque vel ipsam gravi praefidis muneri obeundo, quod septies recusante licet senecta suscepit, communibus rebus ad extrema invigilans, totam impendit. Sic regis saluti simul ac dignitati optime consuluit; ut cum vitam ultra protrahere non posset medicina, aeternam servaret regale hoc collegium, suo nomine, suis auspiciis fundatum: ut cum subditis diutius dominari negaret natura, darent benefacta in illorum memoria perpetuo regnare, atque elogiis doctorum et bonorum, quod magis exoptandum est, quam sceptris, potiri. Sic, uno consilio, et suo nomini, et regio honori, et humano generi simul prospexit. Sic, uno opere, sibi monumentum aere perennius, principi gloriosissimum immortalitatis trophyum, populo sanctissimum salutis templum simul erexit.

PROXIMOS illi honores occupavit sui amantissimus **CAIUS**. Prospere quidem rebus nostris, et singulari fortuna evenisse videtur, ut **LINACRO** proximus, nec *longo intervallo proximus*, seque-
retur **CAIUS**. *Isto certe defensore, talique au-*
xilio tempus egebat. Nisi enim ille adfuisset,
tanquam a machina Deus, tenella haec societas,
in ipsis fere incunabulis, et, quod omnium du-
rissimum est, ab ista manu, qua defendi debuit,
oppressa concidisset. *Ausi sunt, qui non didice-*
runt, abrotanum aegris dare: ausoque huic, tam
temerario, tam saluti hominum infesto, favere
visi sunt ipsarum legum, quae collegio vitam at-
que spiritum dederant, quidam magni nominis
interpretes; ipsi certe *elleboro omnique Anticyra*
digni. In arenam vero descendens **CAIUS**, vin-
dex atque propugnator acerrimus, ea facundiae
vi, ea argumenti acie causam dixit, ut judices

ipsos judicio vicerit, *suoque sibi gladio jugulaverit.*
 Conservator idcirco noster merito habetur CAIUS:
 qui si laudem istam non vidisset a LINACRO oc-
 cupatam, certe equidem fuisset conditor. Cum
 autem Londini jam non erat locus, Cantabri-
 giae literatorum stabilivit societatem, suo nomine
 celeberrimam; quae nostro huic collegio socios
dedit, dabitque in omne aevum, CAIO dignos, dig-
 nos LINACRO: quae dedit illum unum, quem
 utrumque collegium nunquam non jactabit, HAR-
 VEIUM. Nostrum suo praefidio sic tutatum, ve-
 lut alter parens, auxit ornavitque CAIUS. Ne-
 quid honoris deesset; dignos praefidis officio ritus,
 insignia digna comparavit. Ne consiliis deside-
 rarentur *certi denique fines;* optimas leges, sapi-
 entissima statuta excogitavit. Ne majorum vir-
 tutes memoria exciderent; ne minoribus monita
 atque exempla deficerent; voluit acta nostra in
 tabulas

tabulas referri, annaliumque monumentis inscribi. Hinc ipsius operae commentarios debemus, quatuor fere lustra complectentes, ubi res nostrae tam eleganter sunt descriptae, quam praeclare fuerant gestae. Dum LINACRUM suum jactat Oxonia, ut juncta manu, parique passu, in literis excolendis procederet, CAIUM illi parem ostentat Cantabrigia; alma mater *alia atque eadem*, cum sit utriusque, *qualem decet esse sororum, facies, si non una, nec tamen diversa.* CAIUM spectatis LINACRO adeo parem ingenii acumine, adeo parem doctrinae copia, adeo parem vitae integritate, adeo parem animi benevolentia, et singulari in suos affectu, adeo demum in omnibus *similem*, ut vix secundum diceretis. Cum natura videtur convenisse fortuna LINACRO CAIUM adaequare. Quicquid de uno dicitur, *mutato nomine de altero narratur.* Ambo Italas adierunt

adierunt academias: ambo reversi suas ditarunt: ambo mathefios, artis *vero falsum distinguere* do- centis, clavis scientiae naturalis penetralia referan- tis, mensurae divinae *terrasque, tractusque maris,* *coelumque profundum* dimetientis, continentis, con- stituentis, amore capti, dulcedine tracti: ambo studiis humanitatis dediti: ambo Romanas Grae- casque literas excusserunt: ambo medicinam ve- terem non modo, ut medicos oportet, *nocturna versarunt manu, versarunt diurna,* sed etiam La- tine elegantius loqui fecerunt, quam Graece an- tea loquebatur: ambo scripta porro sua in lucem ediderunt, *quae argutum judicis non formidant acumen.* Uterque medicinae laudibus atque ho- noribus cumulatissimus: uterque commissam sibi habuit regiae valetudinis curam; uterque prae- fidis nostri officium, an honoris nefcio an curae plenius, sibi septies delegatum. *Utrumque suum incredibili*

*incredibili modo consentit astrum. Coelo micant
medico propitii, gemini fratres, lucida sidera.*

FUNDAMENTIS reipublicae nostrae tam felici-
ter positis, tam sapienter munitis, nihil ultra de-
siderabatur, nisi honesto certamine, laudanda
contentione, medicinae studia, medicinae bene-
ficia, pomoeria nostra ampliare. Successit in hoc
rerum statu auspicatissime CALDWALLUS, opti-
marum optimae reginae ELIZABETHAE medicus.
Ille palaestram statim instituit, ubi generosi pu-
giles vires suas ita exercent, ut *laurea Apolli-
nea* essent *donandi*. Lectiones chirurgicas pru-
dentissimo hoc consilio fundavit, stipendio satis
amplo dotavit. Nec diminutionem vel minimam
sensit hoc beneficium, quin maximam potius cum
honoris tum affectus accessionem, quod amicissi-
mi Baronis LUMLEII sociam agnoscat manum.

Nec

Nec mirum, si tam benignus sentiretur CALDWALLI radius, cuius ortum tam insolitus, tam singularis illustraverat splendor. Egregium enim hunc virum, non modo omni laude, verum etiam omni lege majorem, uno eodemque die, et sub examen vocatum, et in numerum candidatorum adscitum, et societati adscriptum, et censoria potestate donatum, atque uno fere eodemque mente, in electorum ordinem cooptatum, id quod si bi uni contigit, praeterea nemini, vidit, et vidisse gloriatur haecce academia. Quam abunde spem tantam de meritis suis conceptam implevit, quam praeclare velocissimo hoc honorum decursu vindetur dignus, Olympiorum nostrorum conditor primus! Huic *similis* et *secundus* succedens GULSTONUS, lectiones pathologicas stabilivit. Tertius his accessit CROONIUS, qui, musculares adjiciens, cultrum anatomicum, atque ingenium medicum

medicum ulterius exacuit. Quin CALDWALLI
beneficentiam ut exaequaret felicitas, nihil fa-
mae suae splendidius, nihil fortunae laetius con-
tigisse potuit, quam quod istam poneret cathe-
dram, unde, *tanquam ex tripode*, magnum illud
naturae arcanum, ab omni aetate ad suam recon-
ditum, reliquis omnibus negatum, sibi soli credi-
tum, SANGUINIS CIRCUITUM enuntiavit IMMOR-
TALIS HARVEIUS.

MAGNO NOMINI adsurgimus omnes! HARVEIO
oriente, *FERREA* jam *primum MEDICINAE definit*
AETAS: *Ac toto surgit MEDICO GENS AUREA*
mundo! SUUS jam *regnat APOLLO!* Nobilissi-
mum illud, sanguinis circuitus, inventum, gloriam
HARVEIO dedit vere immortalem; omni elogio,
omni monumento longe majorem. Delentur sculp-
ture; abolentur imagines; diruuntur marmora;

exeduntur aera: sed quamdiu fluxus fluvii vitalis, refluxusque, suum *in se se volventem* circulum servabunt, tamdiu HARVEII *honos, nomenque suum, laudesque manebunt.* Admirabile hoc inventum dedit nobis filum, Ariadnae ad instar, quo per aditus difficillimos, per caeca et flexuosa itinera, ad morborum monstra, in corporis labyrintho se occultantia, carnesque humanas depascientia, detegenda atque extingueda ducimur. Quam praegnans autem est inventorum hoc unum inventum! Quam plena veritatum haec una veritas! Materiae similis, in partes inumeras distribuenda, nec tamen unquam exhaurienda! Quot enim insignes viri, *data hac porta,* varias oeconomiae vitalis vias, varia instrumenta, aliis alium indagarunt, atque ex te nebris eruerunt! WHARTONUS glandulas; GLISSONUS hepar, ventriculum, intestina; WILLISIUS cerebrum, genus nervosum; LOWERUS cor;

CROONIUS musculos, maxima cum laude excusserunt. HARVEII genius, tanquam sol medicinae, in systematis centro constitui videtur : circa quem, quot praeclara volvuntur lumina, radiis ab illo derivatis resplendentia ! Tu quantum effulges HARVEIE sidus, cum tot tantosque habeas satellites ! At non satis fuit HARVEIO, artem famamque studiis atque inventis amplificasse, nisi res etiam nostras opibus augeret : nisi amore plus quam paterno nos filios complectetur. Ne deessent literatorum domicilio literae ; bibliothecam condidit, librorum *non curta supellecstile* instruxit, curatorem ampio cum stipendio assignavit. Ne deesset sociis ipsa societas, liberali colloquio, jucundoque convictu sustentanda ; non modo coenaculum construxit, verum etiam mensam apposuit : praeter illam censorum menstruam, hanc annuam, hanc solennem. Tu autem, beatissi-

me senex, quantum ingenio, tantum amore omnes vicisti ! Te exemplum dedisti tam singulare, tam inauditum, ut cum admiratione obstupescimus, et vix fidem adhibemus ! Non satis habuisti nos filios tuos haeredes designare : quin cum tardior tibi accessurus videretur supremus dies, quam pati posset tam benevolus animus ; ne per hunc, quasi beneficentiae tuae invidenter, ulterior necteretur mora ; in pleno tuorum confessu, matrimonio tuo te exuens, id omne in praefidis manus tradidisti ; frustraque reclamante notissimo isto juris effato, *Nemo est haeres viventis*, fecisti, ut ad nos te vivo obveniret haereditas. O beneficentiam admirandam ! Hanc, uni tuo nomini debitam, hanc, uno tuo nomine dignam, jure dicamus HARVEIANAM !

Si filerem ego, loquerentur hi parietes, loquerentur

rentur hae aedes, atque HAMEIUM laudarent. Cum tam rara temporum contigerit infelicitas, quae nec magistrum, nec libertatem pati potuerit; *delirante* primum *rege*, delirante dein populo, quorum uterque capite tandem *pletatur*; sub improborum hafta ponitur collegium. Positum HAMEIUS, non sibi, sed nobis, grandi pecunia redemit. Cum infortunio, ut fit, infortunium insequente, tam immane, tam vorax eruperit incendium, quod nobilissimum hoc universi orbis emporium in cineres fere totum ita redegerit, ut miremur quantillum fluxerit temporis spatium inter civitatem maximam et nullam; dum sacrī ipfīs non pepercit aedibus, nos-tros etiam prostravit lares. Prostratos HAMEIUS, liberali manu, auspicatissimoque exemplo, restitui curavit; fecitque, ut a flammis ac ruinis *pulchriores multo enitescerent*, novoque seipso splendore antecellerent. Deerant etiamnum coe-

naculo ornamenta: id ut exquisita manu elegan-
tissime ornaretur, sumptibus suis cavit HAMEI-
US. Deerant nosocomiis peritiores medici: ut
nunquam defuerint ex ordine sociorum peritissi-
mi, honesta praemia assignavit HAMEIUS. De-
erat praefidis officio honorarium: perpetuum sta-
bilivit HAMEIUS. Oratoris parcum nimis vide-
batur: duplicavit igitur HAMEIUS. Deerant
collegio sustentando praedia: lauta et fructuosa
legavit HAMEIUS. Qui tam in copia, quam
varietate beneficiendi adeo excelluit, merito ap-
pellandus est, insignis ille benefactor HAMEIUS.

MAXIMI honoris pariter ac *beneficii quasi im-*
memor exprobrarer, si nobilissimus Marchio DOR-
CESTRENSIS silentio praetermitteretur. Vir na-
taliū amplitudine illustris: doctrinae et virtu-
tis splendore illustrior. Ab alma matre Canta-
brigiensi

brigensi institutus, literis se totum dedit. Cum vero valetudinem, inexplebili scientiarum cupiditate, nimiaque studiorum intentione graviter labefactatam, integrum restituerit optimum HARVEII ipsius consilium; tam medicinam quam medicos adeo amavit et coluit, ut vel societatem nostram petere dignaretur: quam ut summa ejus doctrina vendicare potuit, ita prima dignitas aspernari noluit. Nec mirum, cum seipsum dedit, si bibliothecam suam praestantissimam nobis derit. Donum sane regibus ipsis invidendum: si pretium respiciamus, nonnullis aureorum milibus aestimatum; si donantis animum, prorsus inaestimabile. Ita *merendo sui memores* omnes omnium aetatum medicos *fecit* hic medicorum nobilissimus, idem ac nobilium eruditissimus. Quinetiam album nostrum Marchionis nomine sic insignitum, hoc tanto exemplo, vel altissimum

simum nobilitatis gradum ascendit. Hujuscē
 enim vestigiis insistentes, societatem nostram
 summa titulorum dignitate illustrarunt Ducum
par nobile, ille RICHMONDENSIS, hic MONTA-
 CUTENSIS. Uterque tam egregia benevolentia,
 tam insigni humanitate praeditus; uterque tam
 cupidus prodesse, vitaeque malis, quantum in
 se erat, mederi; ut si non ordini, saltem animo
 suo, locus inter medicos daretur dignissimus.
 Ambo ita morum, atque virtutum similitudine
 conjuncti; ita, quasi geminum fratrum nobili-
 um fidus, in coelo resplendent nostro; ut simul
 semper debeant suspici, simul semper debeant
 laudari. Ambo ita amicitia, vitaque ipsa uniti;
 ut cum hunc, quasi communis *animae partem*,
rapuerit maturior vis, ille *quid moraretur altera*,
nec charus aeque, nec superstes integer? Idem
 ille annus procerum ordini tam inimicus, tam
 funestus,

funestus, *utramque duxit ruinam.* Quantum orbis debeat universus tam splendidis benevolentiae et beneficentiae exemplis, pro dignitate dicere verba deficiunt. Quantum nos tantis debeamus patronis, quorum titulis, pariter ac virtutibus, tabulae nostrae tamdiu superbierunt, jam orbatae satis loquuntur. Quantum ipse debeam, tacere malim, ne mea nimium sorte gloriari videar.

CUM novae atque certioris medicinae gloriofa fundamenta jacuerat HARVEIUS, eam praxi sua, scriptisque, mirum quantum erexit SYDENHAMUS. Ille tam fidas, tam accuratas morborum historias contexuit; suaque singulas curationes, tam plane, tam perspicue exposuit; ut vel aegris ipsis adsidere, et quae describuntur acta, non tam legere, quam agere nosmetipsi, videamur.

E

Hippocrates

Hippocrates hic Britannicus hypotheses medicas, bellulas istas conjecturarum nubes, quas pro veritatis Junone, captare atque amplecti solent, qui medendi scientiam rapere potius, quam sectari cupiunt, lumine suo dispulit penitus, ac dissipavit. *Opinionum commenta*, quae *delet dies*, ille maturius delevit: *Naturae judicia*, quae dies idem *confirmat*, ille praevertendo confirmavit: propter acumen et diligentiam in observando, propter lucem ac facilitatem in explicando, propter fidem atque integritatem in communicando, nunquam obliviscendus, nunquam non laudandus
SYDENHAMUS.

HUJUS in praxi exemplum sequutus est, famam vero superavit, qui ad sumnum medicinae apicem, non tam adsurrexisse, quam evolasse videtur
RADCLIVIUS. Ingenium illi erat tam *parabile*,

tam

tam *facile* judicium; ut crederent eum omnes,
non fieri medicum, sed *nasci*. Tantam sui opi-
nionem in omnibus excitavit; ut nemo esset qui
non illum, tanquam divum salutis, pene adora-
ret. Ministrum quidem, quod medici est, na-
turae se praebuit: sed ea arte praebuit; ut non
tam dominam sequi, quam ducere videretur.
Novit, *quod maxime ad artem pertinet, et nesci-
re malum est*, ubi parum, ubi nihil, ubi omnia
medicum agere oporteat: ubi consistere et victo-
riam expectare, ubi festinare et praeripere, pru-
dentius sit in medicina imperatoris consilium.
Nonnunquam Caesaris celeritate usus, ad mor-
bum *venit, vidit, vicit*: saepius Fabii patientiam
imitatus, *cunctando* salutis rem *restituit*. Parvu-
la, sed expertissima, medicamentorum manu, to-
tus militabat, totus nitebatur: tanto caeteris in
medendo felicior, quanto in *remediis simplicior*.

Magnus in vita splendor, major in verbis vis atque auctoritas, maxima in *ore vultuque* dignitas, ne dicam majestas, hunc medicorum facile principem ostentarunt. Cum vero *non eloquentia, sed remediis curentur morbi;* cum ipsa medicina *spectetur agendo;* literas, quas ideo jactare dedignabatur, nescivisse, contemptissime fertur. Quantire autem vera literas aestimavit; testor institutionem suam Oxoniae celeberrimam, arti nostrae omni scientia, domi forisque, excolendae dicatam: testor bibliothecam Radclivianam, omnium longe splendidissimam, ea qua par erat celebritate, literis nuperrime consecratam.

SUCCESSIT, qui meritis modo laudatis non solum eminuit, sed etiam cumulo id unum quod defuit amplissime adjecit, humanissimus FREINDUS. Hic non medicinam magis, quam medicos,

amavit

amavit et coluit: nec superbiens, nec vel contentus, quod ipse adeo esset insignis, nisi et alios, quantum fieri potuit, sui similes efficeret. Quantumcunque scivit; et quantum scivit! nihil se scire credidit, nisi faceret id alii itidem ut scirent: illud utique animo persuasissimum habens, omnem scientiam communem esse thesaurum, non in arca privata seponendum, sed in publicum aerarium sedulo conferendum. Arcana aut in scientia, aut praxi venditare, dedecus putavit, medico liberali ac ingenuo maxime indignum: quippe qui vel habet et celat invidus, vel falso jactat subdolus, utroque nomine contemptui habendus. Non ille *suo urebat fulgore,* non *praegravabat artes infra se positas,* sed sua, quasi communi, luce illustrabat, animabat: vivus idem, quam *extinctus,* magis *amabilis;* nunquam non amandus, nunquam non amatus.

amatus. Nihil magis cordi fuit, nihil ardentioribus optavit votis, quam commodo et honori hujuscē societatis infervire; quam splendorem atque auctoritatem, undique qua potuit, adaugere: id quod amplitudine sua quam maxime effecit, atque efficiet semper sui memoria. Nulla de illius eruditione moveri possit quaestio, cum ad hominum notitiam atque existimationem, ipse scribendo viam aperuit: ut quam bene artis suae fundamenta jacuerat, non ex vulgi opinione, sed doctorum judicio constaret. Frustra autem sumus, siquid adjici posse credimus istius famae, ac laudibus, quas sua ipsius scripta abundissime cumulant, tutissime custodiunt, praeclarissime praedicant.

NUNQUAM obliviouscndus est HALEUS, ipse nostri nunquam oblitus. Quantum doctrinae,

nae, quantum amori suo debemus! Ut docti essemus dum in vivis erat, suo exemplo, suis consiliis cavit: ut post mortem scientia nos instrueret, ad libros coemendos grandem pecuniam legavit.

PELETTUS optimo jure laudandus est; qui omni doctrinae laurea, omni virtutis et dignitatis praefidio, cathedram nostram implevit, ornavit. Si SANGUINIS CIRCUITUM ore Delphico edidit HARVEIUS; carmine Poeonio celebravit, sacravit PELETTUS: Phoebo patre filius uterque dignus.

LAUDANDUS PLUMTREUS, honoris nostri cultor assiduus, *cujus ipse pars magna fuit*: medicinae simplicis, quippe verae, amicus; pharmacopoeiae simplicioris curator, auctor.

LAUDANDUS

LAUDANDUS omni nomine JURINUS; intima matthesios, medicinae, literarum artiumque universarum notitia insignis. Hanc vero singularem laudem sibi propriam fecit: quod suis calculis, suis rationibus innixa, usque eo procecerit variolarum, quae non ita pridem instituta est, *in situ* dicta; ut spes sit, morbum hunc foedissimum, et vultui et vitae, heu! nimis infestum, brevi a chartulis hebdomadali- bus esse exsulaturum, lethali signo non amplius notandum. Quem autem honoribus summis, diutinisque dignum, sua fama, sua scripta demonstrant, *hunc tantum* cathedrae nostrae *of- tendunt fata, nec ultra esse finunt.*

VIVORUM laudes aggredi non audeo; quamquam nullus pateat, aut jucundior, aut uberior dicendi campus: quoniam, ne assentatio in-

genuis


genuis imputetur; ne virtus ipsa non *ad imum servetur*; jubet instituti lex atque ratio, ut posthumae solum dentur: ut nihil fas sit laudare, nisi quod *Libitina sacraverit.*

TOT tantisque illustrata patronis, quorum praeconiis immorari, *si quantum cuperem possem quoque*, non finerent temporis angustiae, LINACRO *duce*, et *auspice* LINACRO, gloriam aeternam consequuta est respublica nostra. Illi tamen nonnunquam id contigit, quod regium esse dicitur, *Bene agere, et male audire*. Delicati nimirum homines, qui voluptate, non usu, omnia metiri solent, quicquid gulæ minus placuerit, tanquam corpori inimicum damnant: nec sanari minus molestum, quam aegrotare miserum putant; dum tam remedii, quam morbi taedium pariter affixerit. Quasi medicina *ipsa sit morbus!* Hinc empiricorum

dolis ac fallaciis facilis praebetur ansa : qui cum certissimam promittant salutem, eamque unico omnipotente, quod venditant, arcano redimendam, tantam fidem, vel potius *dementiam* apud hujuscemodi gregis aegros inveniunt ; ut hi, scientiae licet cathedram contemnere audeant, ignorantiae tamen crepidam demisse osculentur ; et *capita sua non dubitent credere, quibus calceando nemo prudens committeret pedes.* Verum enimvero, *Ipsa si cupiat salus, servare prorsus non potest hanc familiam.* *Mortis mille modos* invenit luxuria ; *mille salutis sola dabit medicina.* Missis igitur, et in malam rem abire jussis, qui fungi una nocte nascentur medici ; qui fungi quoque pereunt, nullam post se memoriam relinquentes, nisi effraenatae audaciae, crassaeque ignorantiae ; *quae seges empiricos tulit, atque omnibus annis feret :* nihil nobis restat, nisi insignia antecessorum nostrorum exempla sequi;

sequi; et medicinam veram, scientiae studiosissimam, utilitatis amantissimam, fraude et fuko alienissimam, fidissimam naturae ministram, salutis *custodem rigidumque satellitem*, omni studio, usu, ac labore excolere, omni virtutis et doctrinae fructu ornare, omni dignitatis, concordiae, et benevolentiae praesidio munire, atque ab omni prorsus opprobrio vindicare. *Longiorem fane orationem majorum memoria postulat, vestra certe virtus breviorem.*

F I N I S.



polini et medicamentorum recensio funditorum
 militaris obiectusque et luteo sive
 tinctum. Et huiusmodi tincturae militares
 ciborum agerandae levigantur. cuius siq-
 ue species excoecare oculi virtutis et debilitate
 ut oculis omni dignitatis concordia et pereno-
 leuitate pterilegio munire stude ut omni profligatio
 corporis invigescere. Namque omnia etiam invito-
 luntur etiam a sensu visus. Vnde etiam
 tunc membra.





